



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticum

Wiestner, Jacob

Monachii, 1705

Titvlvs XXXIV. De Voto & Voti Redemptione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62668](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62668)

Altram p. C. de Patr. potest. defumatur & infirmetur c. fin. cit. & a Glossa ibi, V. Post triennium referente versus:

Mater alit puerum trimum, trimoque minorem: Majorem trimo pascere patria erit.

Sed quidquid sit de sensu istius legis: cuius minus quidem communem, solidam tamen explanationem cum Brunemanno dabitur Lib. 5. Tit. 16. n. 4. in proposito casu prolem rationis usu carentem, quacunq; etate sit, assignandam converlo patri matrive, cum S. Thoma in 4. dist. 39. q. unica art. 4. Panormit. in c. fin. cit. n. 8. & aliis DD. tradunt cit. Sanchez disp. 73. n. 16. &

Barbosa in c. cit. n. 10. Ratio est; quia favore Fidei, de cuius bono agitur, ratio etatis cessat; nam placuit, Summam esse rationem, qua facit pro Religione, ut dicitur l. Sunt persona 43. ff. de Religios. & sumpt. fun.

Non major hoc casu Patria potestatis, quam etatis ratio habenda est. Unde, licet alias secundum leges Civiles liberi sint in potestate & cura patris, §. fin. Instit. de Patr. potest. quando tamen de Fidei bono agitur, patria potestatis ratio non habetur; ideoque mater converla filios Baptismo offerendi jus habet, etiam patre Ethnico reluctantante, ut cum Glossa fin. in c. cit. & Panormit. n. 8. advertit Pirrhing ad banc Rubr. n. 6.



TITULUS XXXIV.

De Voto & Voti Redemptione.

Conjugati & generatim quicunque ad Religionem transeuntes, ad vitam in ea perpetuè agendam se obstringunt, editis tribus substantialibus Religionis Votis: quorum occasione Voti natura & varietas, obligatio relaxatióque ad præsentem Rubricam declaratur.

- 2. Votum non simplex animi propositum,
- 3. Sed promissio constituitur.
- 4. Qua esse vera,
- 5. Et continere debet animum se obligandi;
- 6. Voluntariè quoque & deliberatè,
- 7. Atque immediatè Deo fieri,
- 8. Et esse de meliori bono;
- 9. Qualis regulariter non est,
- 10. Esse tamen aliquando potest de matrimonio contrahendò.
- 11. Dividitur Votum in Absolutum & Conditionatum,
- 12. Expressum & Tacitum,
- 13. Personale Reale & ex utroque Mixtum.

ARTICULUS I. De Voti Natura & Varietate.

SUMMARIUM.

1. Voti definitio.

PPPPA

14. lra

14. In Simplex & Solenne:
15. Solemnitas Voti non in ritu seu cerimonia externa:
16. Neque in traditione sui,
17. Etiam perfecta & utrinque perpetua consistit.
18. Vera ejus explicatio,
19. Exemplis Votorum Solemnium,
20. Et Simplicium declaratur ac firmatur.

1. **V**otum non pro desiderio, ut frequenter solet, sed pro vera promissione, ad faciendum vel omittendum aliquid hominem Deo obligante, & proprie acceptum à D. Thoma 2. 2. q. 88. art. 1. esse dicitur Promissio de meliori bono liberè facta Deo: juxta quam à cæteris DD. magno consensu receptam definitionem ad Votum proprie acceptum exigitur

2. Primò Promissio, non tantum simplex animi propositum, Navarrus *Manual. cap. 12. n. 26.* Suarez *Tom. 2. de Relig. tract. 6. lib. 1. de Voto cap. 2. n. 3.* & Lessius *Lib. 2. de I. & I. cap. 40. n. 21.* Ratio est; quia ex voto nascitur obligatio præstandi id, quod vovetur, juxta illud, *Vovebunt Domino & solvent, Malix. cap. 19. v. 21.* simplex autem propositum, quantumvis absolutum sit, obligationem non inducit, c. *Literaturam* 3. ubi, qui ultra vitæ mutandæ propositum progressus non est, à Voti obligatione pronuntiatur immunis. Neque hoc immeritò; quia non apparet, unde solò animi propositò conceptum opus exequendi obligatio oriatur; cum ea non oriatur ex voluntate hominis, id sibi proponentis; quia iste se obligandi non habuit intentionem: actus autem agentium ultra eorum intentionem non operantur, l. *Non omnia* 19. pr. ff. de

Reb. credit. Neque etiam ex naturali plus propositi; quia hoc, si ex natura sua obligationem induceret, is qui quotidianam auditionem Missæ, elemosinæ largitionem, ingressum Religionis &c. sibi proponeret, ad eorum executionem graviter obligaretur; cum propositi materia sit gravis: & violator præcepti Divini atque Ecclesiastici, cujus obedientiam sibi proposuit, duplex peccatum committeret, unum contra eummodi præceptum, alterum contra proprium propositum; sicut, qui ad votum observantiam voto se additum, peccat juxta transgressionem duplicem contractum: quæ sequela concordibus DD. calculis rejiciuntur.

Neque huic doctrinæ adversariæ decisiones Innocentii III. & Gregorii IX. c. *Consulti* 20. & c. *Statutum* 23. de *Regularibus*, ad vitam & conversationem Religiosam obligantium eos, qui contra propositum & voluntate absolute mutandi vitam & Deo in Religione perpetuo deservendi habitum susceperunt; quæ utraque non de simplicia, sed de obligandi intentione sive promissione firmata propositum est exaudienda, Sanchez *Lib. 4. Moral. cap. 1. n. 20.* & Palao *Trat. 15. disp. 1. p. 2. n. 3.*

Secundò ad Votum exigentem propositum sit vera: non ficta, seu veritas quidem aliisque signis externis expressa, sed sine animo & intentione se obligandi; cum enim Voti obligatio oriatur ex sola voluntate ipsius voventis, & lex quædam sit, quam vovens sibi ipse imponit, isto se obligandi intentionem non habente, & multo magis intentione sua obligationem excludente, non inducitur, c. *Navarrus* 11. 27. Lessius *n. 6.* & Suarez *cap. 3. n. 7. & 10.* Si Deo aliquid promittens verum quidem se obligandi animum, sed sine animo exequendi,

exequendi, aut, quod promissit, non exequendi animum haberet, voti obligatione teneretur; cum ista ex sola se obligandi voluntate oriatur, & sine exequendi voluntate; imò cum voluntate non exequendi consistere possit, ut patet ex Voto Continentiæ solenni, & sine exequendi voluntate, qui sacros Ordines suscipiunt & concubinas dimittendi voluntatem non habent fere, sicut qui rem vendit sine animo eam actu tradendi; quia, sicut contractus iste non in traditione, sed in obligatione ad traditionem, sic votum non in rei promissæ executione, sed ad hanc se obligandi voluntate consistit, *citt. Lessius n. 7. & Suarez cap. 4. n. 3.*

6. Tertio; ut eadem promissio fiat liberè, hoc est, cum advertentia rationis & deliberato consensu voluntatis, ut est communis sensus DD. non minorem rationis advertentiam & deliberationem exigentium ad Votum, quam exigitur & sufficit ad mortaliter peccandum, juxta illud Glossæ in *can. Mulier, 32. q. 2. Qui se prest obligare diabolo, potest etiam se obligare Deo, Laiman Lib. 4. tract. 4. cap. 1. n. 3.* Unde votum propriè non est promissio, ex ignorantia vel errore circa rei promissæ substantiam facta: vi absoluta, aut rationis usum adimente metu extorta; vel, in quam quis ex subitaneo animi motu aut vehementi, & rationis usum præveniente passione prorupit; quia votum est actus humanus, cujusmodi non est promissio facta inadvertenter & indeliberatè, *citt. Sanchez Lib. 4. cap. 1. n. 2. & Palao p. 4. n. 4.* Si metus etiam injustè incusus (aliàve animi passio), rationis usum, ut fere solet, non tollat, eò impellente concepta vota valebunt: nisi constituent statum Religiosum, juxta dicta Lib. 1. Tit. 40. n. 44.

7. Quarto; ut eadem immediatè fiat Deo: non alicui creaturæ, quantumvis

sanctitate præcellenti; quia votum est actus Latriæ sive Religionis, quò principaliter & immediatè Deum tanquam supremam Majestatem colimus. Unde, cum in aliquibus Religionibus Paupertas, Castitas & Obedientia Deo, B. Mariæ Virgini & aliis Sanctis promittuntur, illorum consiliorum Evangelicorum observantia Deo promitti censetur coram Sanctis illis, tanquam testibus vel advocatis suâ intercessione à Deo impetrantibus, quæ per vota illa desiderantur: & cum eidem sanctissimæ Dei Genitrici aut alteri Beato cælitati vota nuncupantur, Deo ad eorum memoriam recolendam & honorandam facta intelliguntur ferè, sicut ad ipsorum memoriam & honorem excitantur Tempa, consecrantur Altaria, Sacrificia Deo offeruntur S. Thomas *cit. q. 88. art. 5. citt. Laiman cap. 1. n. 6. & Palao p. 7. n. 2.*

Quintò demum exigitur; ut eadem promissio sit de re, non solum possibili & bona seu honesta: sed de meliori bono, sive magis grato Deo, quam rei vel operis eò promissio oppositum est, secundum ejusdem Angelici *art. 2. & aliorum DD. communem sententiam.* Ratio clara est; quia promissio non obligat, nisi à promissario acceptetur: à Deo autem non acceptatur promissio rei impossibilis, mala, omnino inutilis vel quæ melius, hoc est, perfectius & ipsi gratius opus impeditur. Unde Votum non est promissio vindictæ privatæ autoritate lumen-dæ, aquam ex fluvio hauriendi & in eum refundendi, nisi talem actum specialis circumstantia cohonestet; non mutuandi, manendi in seculo, matrimonium contrahendi.

Sed, licet hoc de exemplis prioribus indubitatum, & de postremis etiam duobus à DD. passim receptum sit; quòd promissio vitæ secularis & matrimonialis ex-

P p p p ;

cludat

cludat statum Religiosum & Cælibatum, naturâ suâ vitâ illâ perfectiores, juxta illud, *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia, & sequere me*, Matth. cap. 19. v. 21. & huic Christi consilio inhaerentis Apostoli Corinth. cap. 7. v. 40. S. Synodi Tridentinæ Sess. 24. can. 10. de Nuptiarum tamen promissione ita generale non est; ut non admittat exceptionem casus, quò matrimonium est de præcepto, v.g. cum puella corrupta & imprægnata de eo in eundo data est fides, aut ejus contractu inter Christianos Principes stabiliri pax, conservari propagarive Religio, clades aliæ mala publica sisti aut averti possunt; quia tali casu melius Deoque gratius opus conjugium, quàm Virginitas est; cum utique observatio præcepti potior sit consilii executione, & Religionis vel alii publicum bonum prævaleat privato, *citt. Sanchez cap. 8. n. 51. Suarez cap. 9. n. 8. & Laiman cap. 2. n. 12.*

10. Simili modò conjugii ineundi votum editum ab homine, ob carnis fragilitatem, inconstantiam animi & inveteratam peccandi consuetudinem ad vitia carnalia ita propenso, ut continere se vix possit, pro valido cum Navarro *citt. cap. 12. n. 43.* habent Bellarminus *Lib. 2. de Monachis cap. 14. Gutierrez de Matrim. cap. 4. n. 8. cit. Sanchez cap. 8. n. 53. & apud hos alii*; quia posita eâ fragilitate & consuetudine homini melius & utilius est, amplecti statum conjugalem: quem cum ei præ alio suadere prudens consiliarius valeat, non est, cur ejus assumptio promitti non possit Votò; cum homini se continere non valenti ex Apostoli sententia *Melius sit, nubere quàm uri*, 1. Corinth. cap. 7. v. 9.

De voto ducendi puellam pauperem vel miserabilem, v.g. meretricem, à DD. fere approbata est distinctio; vel enim, inquirunt, illud editur omnino absolutè

vel sub conditione, *Si matrimonium in eatur?* Si posterius hoc, pro valido id omnes habent; cum vi ejus votens à meliori bono & perfectiore vita non impediatur, sed solummodo in eventum, quò matrimonium ineundum est, melior & perfectior ejus contractus eligatur, *citt. Inter opera 20. de Spons. & Matr.* Si prius, id ingressui Religionis, sacri Ordinis assumptioni & Cælibatui non obstat: imò valore destitui, volunt *citt. Sanchez n. 54. & Palao p. 8. n. 15.* quòd de meliori bono non sit. Quibus licet haud ægè consentiam, in dubio tamen votum conditionatum potius censere, quàm absolutum cum *citt. Suarez cap. 9. n. 21.* quòd in dubio regulariter actus interpretatio facienda sit, ut valeat potius, quàm perire, *arg. 1. Si miles 3. ff. de Milit. testam.*

Voti partitiones complures, etiam illæ que præcipuè sunt, quibus id dividitur primò in Absolutum & Conditionatum, quorum illò res vel opus aliquod, v.g. ablatio calicis, peregrinatio, ingressus Religionis Deo promittitur simpliciter & independenter ab ulla conditione sine incerto eventu futuro: istò sive Conditionatum eadem vel alia promittuntur sub conditione ejusmodi eventus, v.g. recuperanda salutis, victoria ab hoste recuperanda, negotii feliciter conficiendi. Inter quæ vota id præcipuè discriminis intercedit; quòd, licet absoluti executioni in tempus futurum v.g. ingressus Religionis ad decimum sextum ætatis annum completum vel absolutionem studiorum obligatur, obligatio tamen inducatur & perficiatur ipsâ promissione: & non, ut, quæ ex voto conditionato oritur, suspendatur ac pendeat ab impletiōe conditionis sive incerti eventus. Unde etiam votum Absolutum proficisci censetur ex affectione in rem promissam: conditionatum autem plerumque ex affectione in eventum futu-

rum futurum, per quem conditio imple-
tur, ut rectè advertit *cit. Palao p. 10. n. 1.*

12. Secundò in Expressum & Tacitum :
quorum illud editur verbis, scripturâ,
nutibus, Deo aliquid promittendi seque
obligandi voluntatem declarantibus :
istud signis quibusdam statutis à Jure, ex
cujus dispositione vel potius præsum-
ptione sacri Ordinis susceptione huic ab
Ecclesia annexa Continentiæ, & habitûs
Professorum proprii gestatione, vel ipsis
solis competentium actuum exercitiò Re-
ligiosæ professionis solennia vota edita
præsumuntur.

13. Tertio in Reale, Personale, & ex
utroque Mixtum: quorum primò res ex-
terna v.g. pecunia, equus, fundus: alterò
hominis actio vel istius omisso, v.g. pe-
reginatio, abstinencia à carnibus: po-
stremò res & actio hominis simul, v.g. pe-
reginatio cum oblatione DEO promit-
titur.

14. Quartò in Solenne & Simplex: cu-
jus celeberrimæ divisionis explicationes
varie, sed variis impugnationibus ob-
noxie à DD. sunt excogitatæ.

15. Et olim quidem non pauci ad men-
tem, ut agebant, S. Thomæ *cit. q. 88. art. 7.*
Solenne sic nuncupari voluerunt à
Consecratione, Benedictionisque spiri-
tualit, aut alio simili ritu ac solennitate
externa, sed, ut hodie plerique advertunt,
contra decisionem *e. Unici, in 6.* & ratio-
nem manifestam; cum Solenne sine ulla
consecratione benedictione & solenni-
tate externa: & cum ista simplex votum
emitti possit; sic enim professio tacita sine
ulla consecratione &c. editur, & tamen
tribus Solennibus Religionis votis non
minùs, quàm expressa, constat: & contra
in Societate JESU Coadjutorum Forma-
torum, tam Spiritualium quàm Tempo-
ralium, vota Simplicia sunt: quantumvis
publicè cum externa solennitate & in su-

terioris manibus, fere sicut Professio,
emittantur. Accedit, quòd votum v.g.
Continentiæ Solenne, qua tale, votentem
ad actus oppositos, v.g. ad matrimonium
contrahendum inhabilem reddat: nulla
autem consecratio benedictione aut alia
ceremonia, etiam voto in Religione à se-
de Apostolica approbata edito adjuncta,
seclusà Ecclesiæ dispositione, votentem
ad ejusmodi actum inhabilem reddat, *e.*
Unico cit. Propter hanc rationem

Alii cum Valentia *Tom. 3. disp. 6. 16.*

q. 6. p. 7. & Henriquez *Lib. 12. cap. 5. à*

n. 3. voti Solennitatem constituunt in tra-

ditione sui ipsius, ejusmodi voto adjun-

ctâ, sive in actu, quò vota v.g. Religionis

substantialia emittens in obsequium Dei

perpetuò se Religioni tradit: eamque sui

traditionem Religionis nomine Prælati

acceptat; sic enim, inquit, cum unus

homo se alteri in servum tradit, eaque

traditio ab isto acceptatur, ille in istius

potestatem transit; ut ab ea se eximere

& alii se donare validè non possit: sic,

quando in Religione approbata vota ejus

substantialia emittens se tradit Religio-

ni, eaque traditio istius nomine à Præla-

to acceptatur, postea se alteri tradere, & ma-

trimoniali contractu initò jus in corpus

suum in eum transferre validè non potest.

Rationem utriusque reddunt; quòd re-

rum dominia, non nudis pactionibus &

promissionibus etiam acceptatis, sed tra-

ditionibus transferantur, *l. Traditionibus*

20. C. de Pactis: ideòque sicut, quantum-

vis res uni vendita & promissa tradi queat

alteri, & in hunc illius dominium transferri,

l. Quoties 15. C. de R. V. semel tamen uni

tradita res donari alteri ejusque domini-

um in hunc transferri non potest, *arg. l.*

cit. sic etiam, licet ab eo, qui continen-

tiam v.g. votò Deo promissit, istò intuper

habitò, matrimonium iniri validè possit,

iniri tamen ita nequit ab eo, qui Conti-

nentiam

mentiam vovens ad perpetuum Dei obsequium actu se tradidit Religioni, hanc traditionem acceptanti; quia votum sui traditioni adjunctum Solenne evasit. Sed etiam hæc Solennis voti explicatio non factis convenit cum *c. Unici cit.* decisione; & ex alio etiam capite expedita non est; cum in eadem Societate JESU post Novitiatûs biennium editis tribus votis Religionis substantialibus vera sui traditio istiusque acceptatio adjungatur, & tamen vota illa solennia non sint; cum, iis ita editis, Scholastici matrimonium validè inire potuerint ante Gregorii XIII. *Constitutionem*, quæ incipit *Ascendente*, ab eo editam 8. Calend. Junii 1584. Unde solennitatem voti aliunde, quam ex illa sui traditione haberi, est necesse: ut efficaciter arguunt Sanchez *Lib. 7. de Matrim. disp. 25. n. 14.* & Suarez *Tom. 3. de Relig. lib. 2. à cap. 7.*

17. Hujus argumenti vim declinans Valquez *disp. 195. cap. 8.* Voti Solennitatem constituit in eo; quod adjunctam habeat ejusmodi traditionem perfectam & perpetuam ex parte utriusque: vi cuius, si eût vovens Religioni, sic ista ipsi perpetuè & irrevocabiliter obligatur; ut neque ille hanc deserere, neque hæc illum dimittere queat. Sed hæc quoque explicatio difficilis est; præterquam enim, quod cum *c. Unico cit.* etiam ipsa non consonet, etiam ratione impugnatur partim; quia non omnis traditio personæ ad aliquos usus impedit ejusdem traditionem ad usus alios, præsertim rationis diversæ: ut patet exemplo servi, qui domino traditus in servitutem, eò etiam invitò, alteri tradi in conjugem, sive ad actus conjugales potest partim; quia votum Solenne voventem ad actum oppositum inhabilem reddit, *c. Unico cit.* quæ inhabilitas non oritur ex ipso voto, v.g. Continentiæ; cum istò obstrictus matrimonium validè ineat, *c. Rur-*

sus 6. Qui cleric. & vovent. neque ex perfecta illa & mutua traditione, cum; quæ ista, licet non alterius solius, utriusque tamen partis consensu resolvi potest; ut utriusque erga alterum obligatio cesset, nisi aliunde impediatur: tum verò, quia primis Ecclesiæ seculis tria Religionis vota ejusmodi mutue & perfectæ traditionis adjunctione Solennia non evaserunt; cum, qui illa hæc accedente, emisit, Religionem desertâ matrimonium validè potuerit inire, ut *can. De Viduis 7. & Nuptiarum 27. q. 1.* non obscure traditur & luculenter ostendit Pontius *Lib. 7. de Matrim. cap. 14. & cap. 22. n. 2.* Quare Voti Solennitatem aliunde haberi, est necesse: eaque

Melius provenire dicitur ex speciali Constitutione Ecclesiæ, votum cum matrimonii seu ritibus externis, cum ejusmodi mutua traditione, vel sine hac & illa editum, ita acceptantis; ut id, scilicet auctoritate seu dispensatione Apostolica, perpetuum & irrevocabile esse, voventemque ad actum oppositum inhabilem esse velit, ut à Bonifacio VIII. dicitur *c. Unici cit.* Verbis: *Non attendentes, quod Voti solennitas ex sola constitutione Ecclesiæ est inventa*, quibus similia habentur *cit. Constitutione Gregoriana.* Unde Votum Solenne & Simplex non ratione ipsius promissionis, quæ per utrumque Deo fit, ex eaque orta obligationis, *c. Rursus cit.* sed ratione priori extrinsecus advenientis Ecclesiæ Constitutionis seu dispositionis distingui, cum *Azot. p. 1. Instit. Lib. 12. cap. 6. q. 1.* Sanchez *Lib. 5. Moral. cap. 1. n. 6.* Suarez *cit. Lib. 2. cap. 10. à n. 5.* & Palao *Tract. de disp. 1. p. 1. n. 6.* docent Pirring *ad hanc Rubr. n. 5.* & Illung *Theolog. Practic. Tract. 5. disp. 1. n. 95.* & moderni DD. plerique: ad quorum proinde mentem votum Solenne est, quod ex Ecclesiæ Constitutio-

ARTICULUS II.
De Voti Obligatione.

SUMMARIUM.

21. *Votum inducit Obligationem;*
22. *Votentis intentioni commensuratum.*
23. *Et perseverantem executionis terminò lapsò.*
24. *Nisi iste sit obligationis finiende.*
25. *Votum indeterminatum quoad tempus obligat statim;*
26. *Ut, cum primùm commodè potest, debeat impleri.*
27. *Valet indeterminatum quoad quantitatem & qualitatem.*
28. *Et obligat ad quantitatem minorem & qualitatem utilem.*
29. *Indeterminatum quoad individuum quòvis.*
30. *Et, ceteris pereuntibus, unicò superstitè præstitò, impletur.*
31. *Executio differtur, cum ad tempus cessat.*
32. *Cum perpetuò impossibilis redditur, cessat.*
33. *Votum obligat votentem.*
34. *Et istius obligationem in se recipientem.*
35. *Eò non promittitur factum alienum.*
36. *Sed proprium, præstandum ab ipso votentem.*
37. *Ad alium sibi substituendum non obligato, si id præstare ipse nequeat.*
38. *Ad heredes non transit votum Personale.*
39. *Sed Reale, non tamen ultra hereditatis vires.*
40. *In foro Animæ, etiam si inventarium non sit confectum.*

Q 9 9

41. Mixtum

19. tutione acceptationeque perpetuitatem & firmitatem eam habet; ut ratione sui potestate Ordinaria nequeat relaxari, votentemque ad actum oppositum inhabilem reddat; sic enim Continentiæ annexum susceptioni Ordinis sacri, & professionis Religiosæ Vota Solemnia sunt; quia relaxari à solo summo Pontifice possunt, & non nisi rarissimò & gravissimò casu solent, atque insuper votentem inhabilem reddunt ad actum oppositum, v.g. ad matrimonium contrahendum, c. *Unico cit.* & argumentò à contrario ductò ex c. *Rursus cit.* aut ad rerum dominium ipsi votentis acquirendum, c. *Cum ad monasterium 6. de Statu monach.* Contrà Vota duntaxat Simplicia sunt. Imprimis quæcumque hominum secularium; quia, licet ipsorum quædam v.g. Castitatis & Religionis vota summo Pontifici reservata sint, ad actum tamen oppositum sive ad matrimonium validè contrahendum votentem inhabilem non reddunt, c. *Consuluit 4. & c. Rursus cit. Qui clerici & votent.* Deinde Vota Scholasticorum & Coadjuutorum Societatis JESU, cum; quia solvi possunt à Prælato ea acceptante: tum vero quia Scholastici ante Gregorium XIII. matrimonium validè inire potuerunt: & de bonis suis ita disponere sine superiorum suorum licentia hodièque possunt, ut ex communi docet Sanchez *Lib. 7. Moral. cap. 8. n. 24.* Denique Vota de docendis pueris, Paupertate retinenda, non ambiendis dignitatibus &c. quæ ejusdem Societatis Professi post quatuor Solemnium votorum professionem edunt; quia, licet ab Ordinis Prælato relaxari nequeant, infirmitatem ac firmitatè eam non habent ratione sui, sed ratione Votorum professionem constituentium, quibus annexa & accessoria sunt.

(O)

41. *Mixtum ex parte, non tamen semper ad heredes transt.*
 42. *Vovens Religionem assumere nequit Episcopatum.*
 43. *Sed illam ingredi ad hunc electus.*
 44. *Et confirmatus ingrediendi licentiam petere debet.*

21. **D**E hac præclare Innocentius III. *Licet, inquit, Univerſis liberum fit arbitrium in vovendo, usque aded tamen solutio sive impletio necessaria est post votum; ut sine propria salutis dispendio alicui non liceat resistere, c. Licet 6. pr. fere, sicut Contractus ab initio libera voluntatis, postea tamen necessitatis sunt, l. Sicut §. G. de O. & A. usque aded; ut etiam puer (doli capax) ne voti transgressor videatur, ab ejus obligatione sine redemptione, sive ejus in aliud pium opus commutatione liberatus non sit. c. Venientis 2. Si enim fides data homini obligat, ut fervetur, multo magis obligabit data Deo.*

22. *Ea autem obligatio commensuratur intentioni ipsius voventis; ut iste neque aliud, vel majus minusve, neque aliò tempore aut loco modòve, quàm ipse intendit, præstare teneatur juxta illud, Facies, sicut promissisti Domino Deo tuo, Deuteron. cap. 23. v. 23. Ratio est; quia votum est lex privata, quâ alicujus rei vel operis præstandi obligatio à vovente assumitur propriâ voluntate. Unde ipsius obligationem huic commensurari: & sicut obligationem Legis publicæ, isti conditoris, sic ipsam voventis, voluntatem non excedere, est necesse. Quæ omnino certa.*

23. *Dubium autem est primò, an Voti designato tempore non impleti obligatio cesset. Multum refert, an designatio solam executionem, vel etiam obligationem spectet; cum, si soli executioni certum tempus præfigatur, voti autè non*

impleti obligatio maneat perinde, ut habet in se intra mensem debitum centum, si eo tempore non solvantur, obligatio non extinguitur, l. Magnam 12. C. de Contract. empr. quia votò illò contrahitur debitum duplex: Unum præstandæ rei, quæ est promissa; alterum ejus præstationem ultra præfixum tempus non differendi, arg. l. Celsus 23. §. 1. ff. de Recept. arbitr. Si autem tempus præfigatur ipsi obligationi finiendæ, hæc illò lapsò cessat: ex ipsius voventis, eam ultra tempus illud non extendentis, voluntate, cui ea etiam quoad tempus commensuratur. In dubio obligationi finiendæ designatum tempus censetur, quando hoc continet specialem devotionem: Et istius intuitu votum principaliter editur, v.g. cum votò promittitur jejunium in Vigilia alicujus festi: Et ob specialem istius cultum, ob memoriam Passionis Dominicæ festi festi vel Sabbathò ob B. V. Mariæ Venerationem, quia hujusmodi promissionis exequenda obligatio cum tali die extinguitur, Cyprianus 2. 2. q. 88. art. 12. Palao Tract. 1. disp. 1. p. 14. à n. 1. & alii ab hoc relictis.

Dubium secundò est, quando implendum sit Votum, editum sine temporis determinatione. Et Navarrus quidem Manual. cap. 12. n. 42. Cajetanus q. 1. art. 3. & Reginaldus Lib. 1. §. Summa. cap. 286. id ex obligatione implendum voluntas, quando voventem conscientia remordet. Sed, ut probè advertit Sanchez Lib. 1. Moral. cap. 14. n. 5. Regula hæc nimis stricta timoratis, & nimis laxa est negligenteribus suæ salutis; eum illos facit & frequenter; hos perrare conscientia solent remordere.

Quare melius cum Sylvestro 7. Votum 2. q. 2. & 5. cit. Sanchez n. 5. & Suarez Lib. 4. de Voto cap. 12. à n. 6. votum implendum docent, quam primum potest, juxta illud, Cum votum vo-

verū Domino; non tardaveris reddere Deuteron. cap. 23. v. 21. utique ex obligatione; Quia requirit illud Dominus Deus tuus, & si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum, ibidem v. 22. & Si quid vocasti Deo, ne tardaveris reddere; displicet enim ei infidelis & stultus promissio, Eccl. cap. 5. v. 3. Ratio est; quia Voti obligatio oritur ex hominis promissione & acceptatione Dei fere, sicut obligatio conventionis humanæ; ac proinde, sicut absque temporis determinatione homini facta & acceptata promissio obligat; ut, quod promissum est, statim exigi possit, l. Promissor 21. §. 1. ff. de Constit. pec. sic etiam obligabit, quæ de meliori bono facta est Deo; cum Generaliter in omnibus obligationibus, in quibus dies non apponitur, presentis debeatur, Pomponii JCTi sententia est l. 14. ff. de R. J.

26. Votum autem Quam primum & Statim implere, & in ejus executione non tardare ex æquitate censetur, qui id, quod debet, facit, quam primum spectatis rerum circumstantiis commodè potest: etiam si aliquid temporis intercedat, arg. l. Ratum 13. §. l. Quod dicimus 105. ff. de Solut. secundum quas Quamprimum accipi debet Cum quodam temperamento & Ratio temporis, quod nec maximum nec minimum est & magis intellectus sive prudentis & circumstantias temporis ponderantis viri arbitrio, juxta l. Continuus 137. §. 2. ff. de V. O. Percipi, quam locutione exprimi potest, cit. Sanchez cap. 14. à n. 5. Suarez cap. 12. à n. 12. & Laiman Lib. 4. tract. 4. cap. 3. n. 5.

27. Dubium tertio est de Voto rei, v.g. elemosynæ vel oblationis, indeterminato quoad quantitatem & qualitatem. Ratio dubitandi est; quod ex una, sic vovens ad nihil, arg. l. Triticum 94. §. l. Qui insulam 95. ff. de V. O. junctâ Glossâ in l. Lequo 37. V. Pessimus, ff. de Legat. 1. secun-

dum quas rei promissæ vel legatæ incertitudine stipulatio & legatum vitiantur: ex altera verò parte, si ad aliquid, ad majorem quantitatem & qualitatem meliorem obligari videatur, arg. l. Tritia 38. §. 2. ff. de Auro & Arg. leg. hæredes ejus, qui sacræ ædi statuam vovit vel legavit, ad auream vel argenteam potius, quam ad æream præstandam merito obligantis; utique quod plenissima interpretatio adhibenda sit in beneficiis, c. Cum dilecti 6. de Donationibus.

Nihilominus ejusmodi incertitudine & indeterminatione votum non vitari, eoque voventem non nisi ad quantitatem minimam & utilem qualitatem præstandam obligari, cum Panormit. in c. Ex parte 18. de Censibus à n. 2. & Butrio ibid. n. 7. cit. Sanchez cap. 13. à n. 4. Suarez cap. 7. n. 15. & aliorum communis doctrina & aperta decisio est c. Ex parte cit. §. l. Nummi 75. ff. de Legat. 3. cujus palmaris textus est, Nummi indistinctè legatæ hoc receptum est, ut exiguiore legati videantur, si neque ex consuetudine neque ex contextu testamenti possit apparere, quales legati sint. Ratio est partim; quia Votum, cum de voventis mente non constat, strictè, itaque interpretari oportet; ut ad plus non obliget, quam necessarium est ad verificationem eò factæ promissionis, arg. l. Arrianus 47. ff. de V. O. quod quantitate & qualitate minimâ & utili qualitate præstitâ obtinetur: partim verò; quia in obscuris & dubiis minimum est sequendum, secundum, Reg. Semper 9. ff. & Reg. In obscuris 30. in 6.

Neque ex l. Triticum §. l. Qui insulam cit. & ex nullitate legati vel promissionis prophana argumentum rectè ducitur ad causam Piam; hæc enim ex æquitate Canonica sustinetur & determinanda est arbitrio boni viri, promittentis facultates, & circumstantias alias ponderantis;

rantis; cum ejus favor non minor sit quam dotis: cujus ob nimiam generalitatem incerta determinatio facienda est secundum facultates promittentis & dignitatem mariti, l. *Cum post 69. §. 4. ff. de jure lotium*, Panormit. in c. *Ex parte cit. n. 5.* & Tiraquell. *Causa Pia privileg. 55.*

Neque etiam, quantitatem majorem & qualitatem meliorem præstandam, evincunt *cite.* textus utriusque Juris: Canonici; quia, licet ex c. *Cum dilecti cit.* de promptæ Regulæ locus sit in beneficiis Principum & Nobilium, quando latam interpretationem eorum intentioni conformem esse, constat, votorum tamen obligationes in dubio non extendendæ, sed restringendæ sunt; ne sacrilegæ violationi occasio facile detur, ut cum *cite.* Panormit. n. 4. advertit laudatus Suarez n. 13. Civilis autem, quia l. *Tertia 38. §. 2. cit.* statuam auream vel argenteam, non aëreā deberi, asseritur; quod, cum in æde sacra solæ aureæ vel argenteæ extarent, ex hac circumstantia de voventis mente satis constaret. Unde etiam legatum vel promissio calicis facta Ecclesiæ, in qua nulli stannei vel cuprei extant, in dubio de argenteo accipienda est, *arg. §. cit. & can. Ut calix 45. dist. 1. de Consec.* quia hoc casu ex circumstantiis constat de voventis intentione, *cite.* Panormit. n. 4. & Sanchez n. 13.

29. Dubium quartò est de Voto indeterminato quoad individuum, v.g. unius equi vel calicis de duobus vel pluribus. Quò casu, si omnes extant, quem vovens ejusque hæres maluerit præstandum, neque pretiosiores deberi, docent Sanchez *cit. cap. 13. n. 19.* & Molina *Tract. 2. de J. & J. disp. 270. n. 6. arg. c. Ex parte cit. §. 1. Quis ex pluribus 106. ff. de V. O.* quæ de ejusmodi promissione homini facta
30. idem habetur. Non tamen, ut hi DD. volunt, cæteris individuis pereuntibus &

unò solò remanente, voti obligatio perit; cum enim tali voto existis unus equus vel calix distinctivè, hic scilicet vel ille promissus sit, remanet materia voti tota & ad ejus impletionem sufficiens: quæ proinde, & in dubio, cui Ecclesiæ promissus sit, cui vovens voluerit, præstanda erit, ut cum Bonacina *Tom. 2. disp. 4. q. 1. p. 1. n. 34.* rectè docet Palao *Tract. 11. disp. 1. p. 12. n. 26.*

Dubium est quintò, an Voti obligatio cesserit, cum ejus executio reddatur impossibilis. Eò casu generaliter, ad rei vel operis alterius substitutionem referendum, tradi videtur c. *Quod super, et* cujus decisione, superveniente executionis impedimento perpetuò, ac promissio impossibili redditâ executionem, votum peregrinationis ad terram Sanctam præstatione expensarum in iter faciendum est redimendum. Sed hac in re opus est distinctione; vel enim Voti executio impossibilis redditur solummodo ad tempus vel perpetuò?

Si prius, expectandum est, donec impedimentò cessante executio possibilis reddatur, ex aperta decisione *c. cit.* Neque hoc casu dispensationis petendæ necessitas imponitur c. *Non est 5. pr.* quia in ejus casu ad Apostolicam sedem recursum fuit vel ad tranquillandam conscientiam, tam ipsius Regis Hungariæ quam Archiepiscopi Strigoniensis: vbi quòd dubium esset, an perturbatus reguli status justa esset causa differendi executionem votò promissæ peregrinationis ad terram Sanctam: in dubio autem ad suspensam recurrendum sit, secundum Gloriam c. *Magne 7. V. Noluisse*, ubi ait, quòd nemo debet interpretari suum votum, c. *Venerabilem 34. V. Nec valet, de Electio.* Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 8.*

Si posterius, & executio omnino impossibilis est, voti exequenti obligatio cessat,

cessat; hoc ipso; quod impossibile nulla obligatio sit, per *Reg. 185. ff. de Reg. 6. in 6.* Nisi res promissa dividua sit, v.g. peregrinatio cum oblatione centum aureorum; tali enim casu, seclusa voventis speciali intentione, impossibili redditâ parte unâ v.g. peregrinatione, obligatio remanet ad alterum sive oblationem; ne vitale per inutile vitetur, contra *Regulam, Utile 37. in 6. Seclusâ*, inquam, *intentione*; quia, si vovens utramque simul & neutram sine altera, vel partem possibilem solum accessorie ad eam, quæ jam impossibilis est, promittere intendisset, etiam possibilem præstandi obligatio omnino extingueretur, secundum *Regg. 185. & 6. cit.*

Neque advertebat decisio *e. Quod super cit.* quia isto perpetui impedimenti nomine non intelligitur, quod rei promissæ executionem physicè vel etiam moraliter impossibilem, sed quod eam difficillimam reddit: quo casu votum commutatione, sive rei vel operis alterius substitutione redimendum est, ut cum Panormit. in *e. Licet 6. n. 13.* Sylvestro *V. Votum 2. q. 6. & 10.* & aliis advertunt *cit.* Sanchez *cap. 2. n. 25.* & Suarez *cap. 11. n. 17.* Non malè etiam alii, votum Peregrinationis Hierosolymitanæ redimendum ibi asserti, volunt; quod eam voventes, ad subsidium terræ Sanctæ per se vel, si etiam, iusto impedimento interveniente, ita non possent, per subministratos sumptus ferendum se obligare intendisse, ab Ecclesia præsumerentur, ut non obscure insinuat *e. cit.* textu & notant Panormit. *ibi n. 5.* Navarrus *cit. cap. 12. n. 55.* & Laiman *cit. Tract. 4. cap. 3. in fine.*

33. Dubium sextò est, an voto solus vovens adstringatur. Quod oritur ex *e. Licet 6.* ubi ab Andrea Rege Hungariæ in terra Sanctæ subsidium voto promif-

sam expeditionem filius coactus est adimplere: quod etiam comprobatur usus; cum non rarò in acceptorum à Deo beneficiorum recognitionem, ad imminenti mali periculum averendum à Magistratibus edantur vota, ad quorum executionem populus adstringitur & compellitur. Sed hæc leviora sunt, quàm ut votò ab aliquo editò alios, qui in id non consentirent, adstringi persuadeant; quia *e. cit.* filius ad peregrinationem Hierosolymitanam ideo solum compulsus fuit; quòd intellectâ piâ voluntate parentis illam voventis, quod iste voverat, sine ulla dilatione se impleturum ipse promiserit; ac proinde ad obeundam illam peregrinationem suò potius quàm paternò votò teneretur; quia ab ipso facta Crucis assumptio voti Deo facti signum fuit, ut ex communi DD. sensu advertit Suarez *cit. Lib. 4. cap. 9. n. 3.* Voto etiam editò à Magistratu vel majori parte communitatis, ut hæc tota obligetur, necessarium est; ut ab aliis eam constituentibus acceptetur, vel approbetur ab Episcopo; ut pium opus, ad quod Magistratus vel communitatis pars major proprio voto adstringitur, ipsi Ecclesiasticâ autoritate late vel approbatæ legis vi præstare teneantur, ut advertit idem Doctor & *cit.* Sanchez *cap. 15. n. 19.*

Quamobrem Sylvestri *V. Votum 2. q. 9. cit.* Sanchez *cap. 15. num. 14.* & aliorum communis doctrina est, voto quocunque adstringi solum voventem; quia votum est lex privata, quam vovens sibi ipse imponit & obligatio ab ipso voluntariè suscepta: quem proinde ex ipsa voti natura & voventis intentione solum adstringit, juxta illud Regii vatis, *Reddam tibi vota, quæ distinxerunt labia mea. Psalm. 65. v. 13.* nisi ab ipso vovente sibi impostam obligationem voluntariè etiam alii assumant: sicut

- sicut accidit *c. Licet cit.* & non raro in votis Realibus; cum eorum executio iisque promissæ rei exhibitio, v.g. oblatio calicis aut elemosynæ largitio, de suo per alium fieri non raro solet. Unde
35. Infertur primò, voveri non posse factum alienum, v.g. ieiunium, peregrinationem, ingressum Religionis alterius: de quo tamen edita vota à DD. ferè sustinentur adhibitâ interpretatione, vi cuius ipsis promissâ censeatur diligentia & serius conatus; ut, quod ipsius nomine promissum est, præstet. Quò modò si vota explicentur, iis non tam alienum, quàm proprium factum, scilicet diligentia & cura est promissa, secundùm Glosfam in §. *Si quis alium 3. Institut. de Inutil. Stipul.* quâ adhibitâ si alter nolit, ex promissione sua ortâ obligationi vovens satisfecit, *cit. Sanchez Lib. 3. cap. 5. n. 9.*
36. Infertur secundò, votum implendum ab ipso vovente, neque satisfieri, si eò promissum, v.g. ieiunium, peregrinationem vel ingressum Religionis exequatur alius; quia eò promissum factum proprium est. Quod etiam procedit in voto Reali, cum isto quoque obstrictus satis non faciat, si ad rem promissam præstandam alium inducat: nisi iste eam præstet de rebus ipsius voventis vel nomine ipsius aut animò ipsum ab obligatione liberandi: & quod ita suo nomine factum est, vovens ratum habeat; cum enim ratihabitio retrotrahatur & mandato æquiparetur, per *Reg. 10. in 6.* perinde esset, ac si pecunia in pauperes distribuenda donata voventi ejusque distributio ab hoc mandata fuisset, *Sanchez cit. cap. 15. n. 7. & Laiman cit. Tract. 4. cap. 3. n. 8.*
37. Infertur tertio, eum, qui votum suum implere ex quacunque causa, etiam suâ culpâ non potest, alium, ut id im-
- pleat, rogare non teneri, sive id Reale sit, sive Personale; ac proinde, sicut qui ieiunium vel peregrinationem vovit, cum rebus destituitur: sic etiam, qui elemosynæ largitionem, oblationem calicis vel Monasterii fundationem vovit, cum facultatibus deficientibus non potest, ad alium, qui ea præstet, sibi substituentem, nisi ad hoc ipsum se obligare intendisset, non adstringi; quia voventis promissio se non extendit ultra ipsius intentionem, *arg. l. Non omnia 19. ff. de certum petatur:* quæ fuit, actum vel opus promissum per se vel de suo præstare, *cit. Navarrus cap. 12. n. 51. Sanchez cap. 10. n. 10. & Laiman cap. 2. n. 9.*
- Dubium septimò est, an defuncti votò teneatur hæres, cuius Relatiò procedet ex qualitate voti. Et quidem, si hoc sit merè Personale, sicut est, quò oratio, ieiunium aliisque mortificationibus vel peregrinatio promittitur, non hæredem non transire, sed cum voventis persona extinguitur, communis omnium doctrina, istiusqueratio perspicua est, quòd vota Personalia sunt de actione ipsius voventis, quæ præstari ab hærede nequit. Hæres tamen etiam ad actionem eam, quam vovens promissit, similem obligari potest vel; quòd testator ipsum instituit sub conditione vel obligatione eam præstandi: vel; quòd hæres sponte promissit, v.g. peregrinationem aliamve actionem similem ei, quam defunctus vovit, *arg. c. Licet 6.*
- Si votum sit Reale, ejus iuxta hæreditatis vires implendi obligationem ad hæredem quemcunque transire, Regula est Juris utriusque, *c. Ex parte 18. de Constitut. & l. Si quis rem 2. ff. de Pollit.* quibus textibus hæres ad solvenda defunctorum vota & promissiones distretè obligatur ex ratione; quod voti obligatio-

nem ad heredem transire constet, quæ
 redditur *l. cit.* cuius ratio ulterior est;
 quia hæres adeundum hereditatem ex quasi
 contractu defuncto, sicut in rebus, iuri-
 bus & actionibus, sic etiam in oneribus &
 obligationibus Realibus ipsi hereditati an-
 nexis succedit *l. Hereditas 62 ff. de R. l. ad*
que proinde obligatur ex Justitia, & sub
privationis hereditatis, tanquam ejus in-
dignus, & excommunicationis poenis
compelli potest, c. Licet cit. & c. Si ha-
redes 6. de Testament. cit. Sylvester *q.*
11. d. 4. Sanchez cap. 15. n. 26. & 29. &
Suarez cap. 11. n. 6. Dixi autem, *Jux-*
ta vires hereditatis sive ex eo tantum,
 quod, debitis solutis & necessariis funeris
 expensis jam deductis, superest, *l. Mulier*
72. ff. de Jure dotium & l. fin. §. 4. C. de
Jure delicti. quia de eo solo testator vo-
 vendo aut legando disponere potest.
 Quod in foro Conscientiæ interno satis
 probabiliter procedit, etiamsi inventa-
 rium confectum non sit, non obstante *g.*
12. l. fin. cit. hæres inventarium non
 conficiens ad defuncti debita solvenda
 ultra vires hereditatis obligante; quia
 hæc ejus dispositio fundatur in præsum-
 ptione fraudis, quæ inventarium non con-
 ficiens res subtraxisse videtur: quæ pro-
 inde fraude cessante legis obligatio in fo-
 ro Conscientiæ cessat, ut cum Bartolo in
l. 1. C. de SS. Eccles. n. 45. Felino in c. 1.
de Constitut. n. 44. Sylvestro V. Hereditas
3. q. 3. & aliis docent Sanchez cit. cap.
15. n. 37. & Palao cit. disp. 1. p. 16. n.
4. Eodem modo hæredi salva manere
 debet legitima; quippe quæ per debitum
 voluntarium & merè liberale, cujusmo-
 di est, quod ex voto aut legato pio ori-
 tur, gravari aut diminui à testatore non
 potest, Covarruvias in *c. Si hæres cit.*
n. 9. Sanchez l. cit. n. 38. & Laiman cit.
Tract. 4. cap. 3. n. 13.

ventis defuncti hæres præstare tenetur;
 quod in eo Reale, & independentè à
 Personali est promissum: non etiam id,
 quod in voto Personale vel dependentè
 aut accessoriè ad hoc est promissum, *arg.*
Reg. Accessorium 42. in 6. Sylvester V. Vo-
tum 2. q. 11. d. 3. Navarrus cit. cap.
12. n. 56. & Sanchez cap. cit. n. 30.

Dubium octavò est, an Religionis
 voto satisfiat susceptione Episcopatus. 42:
 Quod non obscure sustinet Panormit. in
c. Per tuas 10. n. 6. & suadet ratio; quia
 Episcopatus est status perfectior Reli-
 giosò, *c. Licet 18. de Regular.* quia is-
 ste via est ad Perfectionem consequendam,
 quam ille supponit, juxta illud, *Opor-*
ter Episcopum irreprehensibilem esse, 1.
Timoth. cap. 3. v. 2. Cùm ergo vo-
 tum non infringat, quid in melius com-
 mutat, *c. Scriptura 4. hæc Rubr. & c.*
Pervenit 3. de Jurejurando Religionis vo-
 to Episcopatus acceptatione satisfiet: si-
 cut voto certæ Religionis satisficit per in-
 gressum strictioris, *arg. cc. cit.* Quod
c. Per tuas cit. decisione firmatur; quia
 eò Papa post votum Religionis ad Epi-
 scopatum electo Religionis ingressum so-
 lummodo suadet, non præcipit; cùm
 uratur verbò *Consulimus.* Unde ac-
 ceptationem Episcopatus post votum Reli-
 gionis omni culpâ vacare, cum Rodri-
 quez Tom. 2. Summa cap. 6. n. 6. exilti-
 mat Henriquez Lib. 10. cap. 3. ad finem.

Sed hæc *c. Per tuas cit.* expositio
 soli verborum cortici inhæret, & non
 assequitur mentem rescribentis; cùm
c. cit. post ejusmodi votum ad Episcopatum
 electo Papa Religionis ingressum suadeat
Si suam sanare desideret conscientiam;
 quibus verbis voventem, Episcopatus ac-
 ceptatione non obstante, ad ingressum
 illum conscientiæ obligatione & sub pec-
 cato adstrictum, declarat; quia consulen-
 ti sua sit id, ad quod voti vi tenebatur, ut
 in *c. cit.*

in c. cit. notat Barbosa *n. 3.* Unde ejusmodi voto assumptione Episcopatus factis non fieri, & votum istud dimisso ad Religionis ingressum sub peccato adstringi, communis est sententia DD. à qua, etsi non divertam, ingressum tamen illum post assumptionem Episcopatus non semper liberum & expeditum; ideoque locum esse existimo distinctioni; vel enim ejusmodi voto ligati ad Episcopatum electio ab ipso solum acceptata est, vel ea insuper à Sede Apostolica est confirmata?

43. Si prius, ut in casu *c. Per tuas cit.* juxta istius decisionem dimisso Episcopatu Religionem ingredi debet: & quia spiritualis conjugii vinculo alligatus nondum est, liberè potest, non obstante Perfectione status Episcopalis; quia, licet iste secundum se spectatus perfectior sit Religioso: non tamen perfectius est, ipsum assumere & appetere præ Religioso, cum; quia Episcopalis exigit hominem irreprehensibilem, 1. *Timoth. cap. 3. v. 2.* hoc est, Perfectum & omni virtutum genere ornatum; cum unico illo verbo omne Virtutum genus expressum sit, secundum S. Chrysostomum *in Epistol. ad Timoth. Homil. 10.* se autem ita perfectum esse, præsumere de se nemo debet & potest sine nota elationis: tum verò; quia Episcopalis status non est medium perfectius ad propriæ animæ salutem consequendam; ac proinde votenti non melior quam status Religiosus. Quare post illius votum ad Episcopatum electus Religionem ingrediendo votum adimplere tenetur; etsi, eò per ingressum impletò, ad Episcopatum eligi, sique electionem cum licentia Prælati valeat acceptare; quia status Religiosus Episcopalem dignitatem non excludit, *Clement. 1. §. fin. de Elect.*

44. Si posterius, & voto insuper habito Episcopus iam confirmatus aut insuper

consecratus sit, licet Episcopatus assumptione peccarit; quòd votum exequens liberam facultatem sibi ademerit, & illius Religionis adhuc teneatur, per alterum tamen ingressum id adimplere non potest sine autoritate Sedis Apostolicæ, relaxantis vinculum matrimonii spiritualis, quò Ecclesiæ suæ per Confirmationem est devinctus, *c. Inter 2. de Translat. Episc. §. c. Nisi cum pridem 10. de Renunciat. cit. Sanchez cap. 17. n. 4. Suarez Lib. 3. cap. 4. n. 8.* & aliis relatis in *c. Per tuas cit.* Barbosa *n. 5.* & Gonzalez *n. 3.* Casu tamen, quò Ecclesiæ sive Episcopatus utilior, etque melior, quam ad præfuturum judicaretur, vinculo, quò Ecclesiæ suæ alligatus est, dissolvi non potest. Papa non facillè impetrandam jam non cum de Religionis voto, post Episcopatum jam assumptum edito, egerit *Lib. 1. Tit. 9. n. 73.*

ARTICULUS III.

De Voti Redemptione, seu Commutatione & Relaxatione.

SUMMARIUM.

43. Voti obligatio cessat 1. *Lesione* poris &c.
 46. II. *Conditione deficiente.*
 47. *Etiã culpa ipsius votentis.*
 48. III. *Cessante causa finali adqueantibus.*
 49. IV. *Irritatione, quâ impuberum vota à patre;*
 50. *A tutore, & aliquando à matre;*
 51. *Non etiã ab herede & Magistro casantur.*
 52. *Etiã puberum vota, ante pubertatem;*

53. Non

73. Non etiam post hanc inchoatam, e-
dita irritari valent.
74. Suo tamen juri præjudicantia ser-
vorum Dominus,
75. Religiosorum Prælati,
76. Abbatis Monialium,
77. Maritus Uxoris,
78. Et ista etiam Mariti vota irritare
vales.
79. V. Commutatione, factâ à legitimo
superiore.
80. Rem promissam in meliorem ipse vo-
vens;
81. In æqualem solus superior commu-
tat;
82. Nisi votum sit Reservatum,
83. Vel commutatione præjudicetur ter-
tio,
84. Vel justa causa desideretur.
85. VI. Dispensatione Episcopi, obli-
gationem Dei nomine,
86. Et ex justa causa remittentis;
87. Nisi remissione tertio præjudicetur,
88. Aut votum sit ex Reservatis.
89. Reservatio odiosa est, & non exten-
denda;
90. Ut non afficiat vota imperfecta,
91. Et accidentales circumstantias per-
fectiorum;
92. Neque etiam vota extorta gravi &
injusto metu,
93. Conditionata & Penalia,
94. Reservata duobus casibus Episcopi,
95. Et aliquando speciali jure alii re-
laxant.

45. **E**X dictis constat, voti obligationem
extingui lapsu temporis, ei si-
niendæ præfixi, & materiæ eò
promissæ mutatione tantâ; ut de
facto vel de Jure impossibilis, majoris
boni impeditiva, vel omnino inutilis in-
cipiat esse; cum tali casu locum habeat
illud, I.C.T. Obligatio extinguitur, si in

eum casum incidat, à quo incipere non
potest, l. Pluribus 140. §. 2. ff. de V. O.
Panormit. in c. 1. n. 4. & Laiman Lib.
4. tract. 4. cap. 8. n. 3.

Secundò ejus obligatio cessat defi-
ciente conditione, sub qua actus vel rei
præstatio Deo est promissa; sic enim,
qui sub muneris publici consequendi aut
victoriæ ab hoste reportandæ conditione
peregrinationem aut piam fundationem
voverunt, conditionibus illis deficientibus
ad pia hæc opera non amplius adstringun-
tur. Quod probabilius verum est, quan-
do conditionis eventus ab ipsomet vo-
vente, etiam malitiosè, est impeditus,
ut cum Majore in 4. dist. 38. q. 1. coroll.
7. docent Suarez Lib. 4. de Voto cap. 17.
n. 20. & Palao Tract. 15. disp. 1. p. 17.
n. 11. Ratio est; quia obligatio voti
commensuratur & pendet ab intentione
voventis: qui, sub conditione aliquid vo-
vens, ad id præstandum obligari non vult,
nisi in eventum conditionis; ac proinde
casu, quò eventus impeditur, obligari
non vult; quia, conditionis eventu impe-
dito, votum absolutum non evadit. Con-
firmatur; quia tali casu non obligatur ex
sua voluntate; quia istâ se tantum obli-
gat in casum implendæ conditionis; ne-
que ex culpa, commissâ impediendo e-
ventum conditionis; quia ex ea ad pec-
nitentiam duntaxat, non etiam ad resti-
tutionem tenetur; cum eâ Deo solum de-
negetur debitus honor & cultus, non in
bonis ipsi utilibus inferatur damnum,
aut auferatur lucrum, quod restitutio,
ne compensetur.

Neque cum hac doctrina pugnat;
quòd conditionatæ promissionis humanæ
obligatio non cesset, quando, ne condi-
tio existeret, obligatus ipse curavit, l.
In executione 85. §. fin. ff. de V. O. &
Juris regula sit, Cum non fiat per eum,
ad quem pertinet, quò minus conditio
impleatur,

R T T

impleatur,

impleatur, haberi debet perinde. ac si impleta fuisset, quæ est 66. in 6. quia Regulæ huic non, sicut in homini, sic etiam in Deo factis promissionibus est locus; cum illarum obligatio multum pendeat ex Positivi Juris dispositione: Deo autem factarum ex sola intentione voventis: qui aliquid conditionatè vovens se obligare solummodo intendit in casum implendæ conditionis. Accedit; quòd, humanæ promissioni adjectæ conditionis eventum impediens, promissario auferat lucrum, aut damnum inferat in rebus ipsi utilibus: impediens autem conditionem, adjectam promissioni Deo factæ, honorem tantum & cultum ipsius impedit: & istius peccatum solum Religionis, transgressorem ad poenitentiam: illius autem peccatum Justitiæ virtuti, transgressorem ad damni illati & lucri injustè impediti reparationem obliganti, adversetur, *cit.* Suarez *cap. 17. n. 20.* & Laiman *Tract. 4. cap. 6. n. 4.*

48. Tertio, voti obligatio cessat, cessante causâ finali, *arg. c. Cum cessante 60. de Appellat.* sic enim votum non ingrediendi certam domum propter occasionem peccandi, quæ in ea fuit, istâ ablata: & votum peregrinandi pro salute amici, istò mortuò, desinit obligare ex tacita voluntate ipsius voventis: qui in casum deficientis causæ, quâ ad vovendum principaliter est motus, se obligare non intendit, Panormit. *in c. Magna 9. n. 14.* Sylvester *V. Votum 2. q. 8. cit.* Sanchez *cap. 2. n. 42.* & Suarez *cap. 18. n. 5.*

Ne autem his obstet *c. Magna cit.* textus, quò peregrinationis Hierosolitanæ votum ab Episcopo editum causâ subsidii, pro recuperanda Ecclesiæ suæ libertate, impetrandi à Campaniæ Comite, istò mortuò, ac proinde causâ finali cessante, in alia pia opera ab Innocentio III. fuit commutatum, luculentò ar-

gumentò obligationis, etiam causâ finali deficiente, remanentis. Ne, inquam, ille obstet, dictam Peregrinationis causam pro impulsiva tantum habent Panormit. & Sylvester *l. cit.* Sed contra textum; cum eam causam finalem fuisse, clarè insinuent *cit. c.* verba, *Cum intentionem tuam, morte Comitis, conspiceret iam frustratam, & cum pro libertate Ecclesiæ præcipuè votum Peregrinationis emisisset.* Quare melius Gonzalez *in c. cit. n. 5.* dictam causam finalem quidem, ac non unicam sive adæquatam fuisse, ait; quòd votum illud ex parte etiam editum fuerit pro salute animæ propriæ: quæ causa *c. cit.* lectione plenâ ab eo recipi exprimitur verbis, *Cum pro salute animæ tuæ & libertate Ecclesiæ assequenda præcipuè votum Peregrinationis emisisset;* & quia, Comite mortuò, adhuc vigili voti commutatio omnino habuit locum. Cui expositioni, si *c. cit.* verba, *Quia cessavere causa illa, adversari dicantur,* non male cum *cit.* Sanchez *n. 43.* edò reslati voti commutationem, etiam necessaria non esset, tamen ad maiorem certelam & tranquillitatem atque à scrupulis liberandam conscientiam adhibendum ait, ut etiam notat Barbosa *in c. Magna cit. n. 10.*

Quartò voti obligatio cessat Irritatione ejus, cujus potestati vovens subest, aut votò præjudicatur; sic enim filii & filia impuberis, quantumvis dolii capacis, omnia vota, tam Perlocalia quam Realia, irritare valet pater, & in ejus absentis, amentis &c. defectum avovus paternus; quia eâ ætate filius propter imbecillitatè judicii ipsius potestati & gubernationi, in assumendis præferatim ejusmodi obligationibus, naturalitè suadente, unanimi omnium parentum consentu & usû subjectus est. Numer. *cap. 30. v. 6. can. 1. can. 2. v. 10.*

1a 20. q. 2. & can. Mulier 32. q. 2. c. cit. Sanchez cap. 35. n. 7. Suarez Lib. 6. cap. 6. à n. 1. similem potestatem ad pupilli vota irritanda ex communi DD. sensu adstruunt Tutori, can. Puella cit. quod in persona & actionibus pupilli gubernandis patri subrogetur: uti etiam respectu liberorum impuberum, tutore carentium, & mortuò, absente vel amente patre, avòque deficiente, matri, per can. 1. & can. Puella cit. textus, vota irritandi potestatem parentibus in plurali; ac proinde hoc saltem casu, matri adstruunt; quòd, illis deficientibus, liberorum impuberum gubernatio & cura ad ipsam pertineat, cit. Suarez cap. 6. n. 22. & Laiman cap. 7. n. 10.

1. In eorumdem & matris etiam defectum impuberis vota ab hero & Magistro, sub cuius gubernatione ille existit, irritari posse, aliqui volunt apud cit. Sanchez cap. 35. n. 83. & Palao Trañ. 15. disp. 2. p. 7. n. 8. quòd respectu ejus patris vice fungantur. Quam illorum Opinionem, etsi non damnent, tamen, quòd aliò quàm pietatis fundamentò non nitatur, amplecti DD. cit. ausi non sunt; quòd ad votorum irritationem requisita potestas dominativa ejusmodi impuberum hero & Magistro nullò jure concedatur; ideòque ejusmodi impubes sui juris reputetur, c. Unico, de Infant. & lang. ut ibi notat Gonzalez n. 8.

2. Pater autem, tutor & alii, qui in ea potestate patri succedunt, ab impuberibus edita vota irritare etiam possunt, postquam illi pubertatem sunt adepti: dummodo puberes facti ea non confirmaverint, ut arg. c. fin. de Sent. excom. cum Navarro Manual. cap. 12. n. 7. cit. Sanchez cap. 30. n. 14. Suarez cap. 6. n. 9. & aliis docet Laiman cit. cap. 7. n. 11. Ratio est; quia ex una, pater in filium puberem factum, etiam emancipatum

semper retinet aliquam potestatem, etsi multum diminutam, ob quam ei reverentia & obedientia debetur: cui similem potestatem in pupillum etiam pubertatem adeptum habet tutor; quia in locum patris succedit: & cum ejus filii personam regendam suscepit, adhuc aliòquò modò repræsentat: ex altera verò parte, superior, quando ejus in personam potestas non omnino extincta est, sed adhuc manet, vota ab ea antecedentis, & plenioris subjectionis tempore emissa & istò elapsò, non confirmata rescindendò in irritum revocare potest: quod Regulæ instar traditur à DD. cit.

A filio jam pubere edita vota irritari à patre nequeunt, nisi ea præjudicent ipsius administrationi & domesticæ gubernationi, ut colligitur ex can. 1. can. Puella cit. l. Deo nobis 56. §. 1. C. de Episc. & Cleric. & Novella 123. cap. 41. Ratio est; quia, cum filius pubertatem adeptus discretionem & maturitatem judicii ad votandum sufficientem habeat, ab eo edita vota irritandi potestatem alii concedi non expediebat extra casum, quòd, votò ab eo editò, in ipsorum præjudicium aliquid promissum esset, cit. Sanchez cap. 35. à n. 15. & Suarez Lib. 6. cap. 5. à n. 4. Quare, licet pater irritare valeat à filio edita vota oblationis de bonis, quorum dominium & administrationem pater habet, uti etiam longam peregrinationem, jejunia & abstinentiam cum periculo morbi, vel domesticæ ordinis perturbatione conjunctam &c. irritari tamen ab eo nequeunt vota Castitatis, Religionis, susceptionis Ordinis sacri, observantiæ præceptorum Divinorum, orationis, jejunii, aliarumque corporis afflictionum moderatarum; cum per ista paterno juri non præjudicetur, cit. Sanchez à n. 15. & Suarez à n. 5.

Rrrr 2

Simili

54. Simili modo dominus fervorum suorum vota, quibus ipsi debitum servitium impeditur, arg. l. Si quis rem 2. §. 1. ff. de Pollicit. non etiam alia irritare potest, ex D. Thomæ 2. 2. q. 88. art. 8. Panormit. in c. Scriptura 4. n. 6. Sylvestri V. Votum 4. q. 2. d. 5. Navarri Manual. cap. 12. n. 64. aliorumque Interpp. ac DD. sensu communi. Unde, licet dominus irritare valeat à servo edita vota Realia; quòd (seclusò peculid) ex quibus illa impleat, propria bona non habeat; cum ejus operæ, industria & res domini bonis connumerentur, §. Item vobis 3. Instit. Per quas pers. nob. acquir. uti & vota Religionis, sacri Ordinis assumendi, obeundæ peregrinationis, aliorumque operum à domini servitiis abstrahentium: irritare tamen nequit vota, quibus servus Divinorum præceptorum observantiam, Continentiam, Orationes & jejunia moderata & similia opera pia Deo promittit; quia istorum neque obligatione, neque executione domini jure præjudicatur, cit. Sanchez cap. 36. à n. 2.

55. Præterea Religiosi Ordinis Prælati sibi subiecti Regularis vota omnia potest irritare, exceptò votò ingrediendi strictioris observantiæ Religionem, ad quam transitus, superiore etiam invitò, Jure permittitur, c. Licet 18. de Regular. & votis constituentibus statum Religiosum: cujusmodi sunt vota Paupertatis, Castitatis & Obedientiæ in omnibus, & quædam his accessoria & annexa: ut sunt Redemptionis captivorum in Mercenariorum, Quadragesimalis abstinentiæ in Minorum, ingrediendi Societatem si ve acceptandi aliquem Gradum, Obedientiæ summo Pontifici exhibendæ & quædam Simplicia vota in Societate JESU, & alia quædam in aliis Religionibus recepta. Ita cum Doctore Angeli-

co cit. art. 8. & Navarri cit. cap. 12. n. 65. docent cit. Sanchez cap. 33. à n. 4. & Suarez cap. 7. à n. 3. Ratio est; quia, sicut autoritate Legis pupilli voluntas parenti aut tutori, sic Obedientiæ voto, eique accedente Ecclesiæ approbatione Religiosi voluntas subiectæ est Prælato; ut sine istius consensu nihil vere ita firmiter possint, quin ab ipso valeat revocari, ut docet praxis & usus Religionum, & habetur c. Non dicatur 12. q. 1. Et c. Si Religiosus 27. de Elect. n. 6. cujus in rem præsentem luculentus textus est, Cùm Religiosus velle & nolle non habeat, sed ex istius, quem Dei vice super caput suum posuit, & cuius imperio se subjecit, pendeat potestate.

Simili fere modo Abbatibus & Prioribus irritare possunt vota Monialium sibi subiectarum; non quidem omnia, sed ea saltem, quæ domesticæ ipsarum gubernationi præjudicare & obesse possunt. Ratio est; quia, licet per votum Obedientiæ, sicut Prælati Religiosi, sic ipsi Moniales subiciantur, non tamen in has aliam potestatem habent, quam domesticam, domus & familiæ rectam gubernationem concernentem, Azor p. 1. Instit. lib. 11. cap. 17. q. 3. & Palao cit. disp. 2. p. 8. n. 7.

Demum maritus irritare potest vota uxoris; non quidem simpliciter omnia, sed ea tantum, quæ usui matrimonii, rectæ educationi proli, domesticæ gubernationi & administrationi familiæ pertinet, ut cum cit. Navarri n. 64. Azor cap. 7. q. 12. Lallio Lib. 2. de I. & I. cap. 40. n. 83. Suarez Lib. 6. cap. 4. n. 2. & aliis contra cit. Sanchez cap. 34. n. 3. eam mariti potestatem ad omnia uxoris vota extendentem, verisimiliter defendunt Pontius Lib. 10. de Matr. cap. 17. §. 1. n. 3. cit. Lallio & Palao p. 6. n. 2. Ratio.

unica ratio est, cur quæcunque, etiam sedi Apostolica, reservata vota in perpetuam Religionis observantiam commutari à vovente propriâ autoritate possint, *c. Scriptura 4.*

61. In rem quoque promissa evidenter æqualem ita commutari votum à vovente posse, volunt Rodriguez *Tom. 2. Summa cap. 110. n. 4.* & Henriquez *Lib. 5. cap. 20. n. 5.* & nonnulli alii apud eundem Sanchez *n. 10.* Ratio, quâ moventur, est; quia hęc ipsæ; quod res omnibus ponderatis æquales sint, æquæ sunt gratæ Deo, & huic utrâvis præstitâ satisficit, argumentò deductò ex *pr. Instit. Quibus modis oblig. toll.* secundum cuius textum, consentiente creditore, aliud pro alio solvi potest. Melius tamen id negant *citt. Lefsius n. 105.* Sanchez *n. 12.* Suarez *cap. 19. n. 3.* & Laiman *cap. 8. n. 19.* partim; quod, licet opus subrogatum secundum se & alias circumstantias spectatum æquale sit, promissum tamen melius Deoque gratius videatur, non solum; quia votò est affectum; sed etiam propter perseverantiam in fidelitate promissionis & accuratione rem, sicut promissa est, Deo exhibendi: partim verò; quod propter difficultatem & penè impossibilitatem cognoscendi æqualitatem materiæ subrogatæ cum ea, quæ promissa est, periculum esset; ne sæpe minus bonum pro majori vel æquali Deo exhiberetur.

62. Dixi etiam supra imprimis *Si non sint reservata*; deinde, *Si ab eo cuius utilitatem spectant, acceptata non sint, & Memum, Ex justa causa.*

Primum propter vota Reservata, quæ, ut paulò post plenius tradetur, aliâ quàm sedis Apostolicæ autoritate commutari nequeunt, præterquam in statum Religiosum, *c. Scriptura cit.*

63. Alterum; quia per acceptationem *vg. Prælati, Ecclesiæ vel Monasterii, cui*

exhibenda res promissa est, illis accipiatur jus petendi rem votò promissam; quod in aliam etiam majoris boni in rem transferri vel alterius etiam melioris rei subrogatione commutari ipsis inivis non potest, ut *arg. pr. Instit. Quibus modis oblig. toll.* cum Sylvestro *V. Verum 4. q. 7. d. 4.* tradit Henriquez *Lib. 7. cap. 20. n. 4.*

Tertium; quia, licet ad rei votò promissæ commutationem in aliam materiam meliorem specialis aliqua causa necessaria non sit; quod ipsa rei vel operis melioris Deoque gratioris subrogatio causa sit, ut cum *citt. Navarro cap. 10. n. 63.* advertunt laudati Sanchez *cap. 10. n. 15.* & Laiman *cap. 8. n. 21.* certamen aliquam *vg.* quod votum editum ab impubere, vel rei executio jam minime impedita, vel subrogata cum majori fructu & consolatione peragenda speretur, item D. meritò exigunt ad commutationem in rem æqualem, & melio magis in minorem; idque non obscure colligitur ex *c. 1. c. Venientia 2. c. Magis 7. c. Quod super 8.* in quorum textuum verbis omnibus commutationis causa invenit.

Sextò demum obligatio voti tollitur Dispensatione, sive eius Dei nomine facta relaxatione seu remissione; cum, ex illa causa Episcopi alique Prælati jurisdictionem quasi-Episcopalem obtinentes à subditis suis, & ab illis vel à Papa delegati vel privilegiati ab aliis edita vota, sique erga Deum contractas obligationes remittendi habeant potestatem; nulli vota acceptata ab eo, in cuius utilitatem edita sunt, vel aliàs sedi Apostolicæ sunt reservata. Quam potestatem à Christo immediate S. Petro ejusque successoribus summis Pontificibus, *Matth. cap. 16. n. 19. Verbis, Tu es Petrus &c. quodcumque solveris super terram, erit solutum &c. in cælis & Pase oves meas, Joann. cap. 21. v. 17.*

67. concessam, & ab ipso nascentis Ecclesie primordio propagata Consuetudine stabilitam. Episcopis aliisque Prælatibus &c. communicandi ratio gravissima fuit; quod ea ad fidelium ipsius subditorum rectam gubernationem, spirituale eorum bonum & animarum salutem promovendam plurimum conferat, imò necessaria sit.

Dixi autem primò, *Ex justa causa:* quam ad Dispensationis non honestatem solam, sed ad valorem quoque requiri, D. Thomæ *cit. q. 88. art. 12.* Gloſæ in *e. Non est 5. v. Adimplere*, cæterorumque TT. & Canonistarum unanimes & certa doctrina est, cum; quia sine justa causa dispensans excedit limites sibi concessæ potestatis, Ecclesie Prælatibus & ipsi etiam Capituli indulgæ ad ædificationem, non ad destructionem aut dissipationem: tum verò; quia Dispensatio fit nomine Dei, qui in debiti & obligationis erga se contractæ remissionem, justâ causâ, etiam bonâ fide existimatâ destitutam, tanquam irrationabilem & rectæ gubernationi præjudicantem non censetur consentire. Juste autem causæ sunt defectus plenæ libertatis in votendo, v.g. quòd votum in ætate pupillari vel vehementi aliqua passione editum, aut gravi metu injustè incusso extortum fuerit: si id propter votantis fragilitatem, inconstantiam &c. occasio ruinæ spiritualis sit, vel cedat in damnum familiæ, aut magnum istius, vel etiam commune bonum Reipublicæ impediatur: si in ejus executione appareat gravis & antè non pravisa difficultas: si dubia sit intentio votantis, vel iste erraverit circa causam impulsivam, vel ista aut etiam causa finalis ex parte cessaverit: ex quibus & similibus prudentis arbitrii justis causis voti obligationem per Dispensationem omnino, aut saltem admixtâ, ut sere solet & expedit, aliquâ commu-

tatione, ab habente potestatem remitti posse, aliis DD. relatis censent *cit.* Sanchez *cap. 45. à n. 26.* & Palao *p. 9. à n. 2.*

Dixi secundo, *A tertio, in cujus modum edita sunt, non acceptata;* quando enim vota Deo fiunt cum adjuncta promissione facta alicui tertio, v.g. personæ pauperi vel communitati, puta hospitali, Ecclesie, Monasterio, sine talis promissarii ea acceptantis consensu ordinari Prælatorum potestate relaxari non possunt; quòd transeat in pactionem vel conventionem, quâ illi acquiritur jus, quod, eò invitò, etiam à Papa remitti non potest, Sylvester *V. Votum 4. q. 7. d. 4.* & Sanchez *cit. cap. 41. n. 6. & 13.* qui tamen *n. 16.* cum *cit.* Suarez *cap. 15. n. 7.* excipit duos casus. Primus est Necessitatis vel Utilitatis publicæ tantæ, ut ejusmodi persona vel communitas ad cessionem juris sui compelli, eòve invita privari possit. Alter, quòd promissio facta est Ecclesie, Monasterio vel alteri loco vel causæ piæ; cum huic promissione quæsitum jus ex justa eaque gravi causa remittere Papa valeat, tanquam supremus ejus honorum administrator aut Prælatas.

Dixi tertio, *Non reservata;* quia ex 68. Universali & perantiqua Ecclesie consuetudine, præter vota statum Religiosum constituentia, sedis Apostolicæ Commutationi & Dispensationi reservatum est votum Peregrinationis in terram Sanctam *e. Quod super 8. Sc. Ex multa 9.* sive in ejus terræ subsidium, sive solius devotionis causâ editum sit, *cit.* Laiman *n. 7.* & Palao *p. 10. n. 5.* Uti & vota visitandi limina BB. Apostolorum Petri & Pauli, & S. Jacobi in Compostella, Castitatis & Religionis, *Extravag. Etsi dominici 5. inter comm. de Penit. & remiss.* quâ relata hæc vota reservata supponuntur, eaque sine sedis Apostolicæ speciali licentia relaxantes excommunicantur.

Quoni-

69. Quoniam autem reservatio, quod Ordinariam potestatem diminuat & restringat, odiosa est, strictè potius, quam latè interpretanda est, *arg. Reg. Odis 15. in 6.* ut non solum ad alia, v.g. Peregrinationis Lauretanæ, assumendæ Crucis contra Hæreticos aut infideles, in bellum contra hos susceptum convertendi debita, non peccandi & similia vota non extendatur, sed etiam non complectatur ipsa triplicis Peregrinationis, Castitatis & Religionis vota, quando ea perfectè non sunt, v.g. quod materiæ reservatæ tantum pars aliqua promittatur, neque etiam reservatæ sint circumstantiæ, materiæ reservatæ adjunctæ: quod DD. fere omnes tradunt pro Regula generali: ex qua inferunt.

Primo, reservata non esse vota triplicis peregrinationis ob aliam, quam devotionis aut subsidii terræ sanctæ ferendi causam emissã; quia ex his tantum causis edita reservantur.

70. Secundo, vota non nubendi, abstinendi à certo actu Venereo, vel universim non peccandi contra Castitatem, hanc servandi ad tempus, non petendi debitum; quia non sunt Castitatis perfectæ, sed solum diminutæ: uti etiam votum suscipiendi sacros Ordines, Castitatis votum post aliquod tempus emittendi; quia non sunt de Castitate servanda, sed de ejus observantia solum promittenda.

Tertio, vota Paupertatis & Obedientiæ in seculo, & Votum, ingrediendi Religionem non approbatam; quia illis non constituitur, istò non promittitur status verè Religiosus istiusque ingressus; cum ejusmodi status non detur extra Religionem approbatam.

Quarto, vota Peregrinationis Romanæ obeundæ pedibus vel mendicandò, & Religionis observantiæ valde strictæ; quia Episcopus & alii vota relaxandi potestatem generalem obtinentes dispensare

cum tali vovente possunt; ut peregrinationem illam equò aut curru, aut viti propriis pecuniis paratè, licet obire, ingredi valeat Religionem laxiorem; quæ sic non in ipsius Peregrinationis voti Religionis, sed in eis adjunctæ circumstantiæ voto dispensant.

Quinto votum, quò v.g. Religio ingressus intra annum est promissus; ut ejus executionem ad modicum tempus liceat differre.

Sextò vota, quibus disjunctivè Castitatis vel jejunium Sabbaticum, jejunium Religionis vel sacri Ordinis alterum promittitur; cum enim his oblativè jejunium vel sacrum Ordinem eligendo voto satisfaciatur, hoc præcisè ad materiam reservatam non obligat: sicut obligaret si eò promitteretur Castitas vel Religionis ingressus, cujus utraque pars ad reservata.

Septimò votum non petendi dispensationem voti, vel hanc petendi solum; quia de materiæ reservatæ non est.

Octavo jejunium, eleemosynarum, vel opus pium, in quod v.g. Castitatis Religionis vota à Papa sunt commutata, quia materiæ reservata non sunt, *ait Sanchez cap. 40. à n. 42. Laiman cap. 40. & Palao p. 11. à n. 1.*

Eadem præferuntur Castitatis & Religionis vota, quando injustè inculcò materia extorta sunt, reservata non esse; ac proinde ab Episcopis aliisque Ordinariis vel delegatam in votis dispensandi potestatem habentibus relaxari posse, cum *Navarro n. 89. Et. docet Lessius in cap. 40. n. 108.* cum propter imperfectionem consensûs: tum verò & vel maxime quod dubium sit, an vota tali metu edita valeant, & opus habeant dispensatione. Reservatio autem locum non habet, nisi votis aliisque casibus certis.

Quin multorum non possunt no-

minis DD. à Sanchez *Lib. 8. de Matr. disp. 10. n. 8.* & ipsius etiam atque Palai *p. 12. n. 15.* sententia est, Castitatis & Religionis vota reservata non esse, quando non absolute, sed sub conditione de futuro emittuntur, *vg. si fornicatus fuero, Si iufero, si consecutus fuero officium, recuperavero sanitatem, è naufragio &c. saluus evasero.* Rationem dant; quòd reservatione, tanquam voti onerosa & odiosa, comprehendì solum debeant vota ex natura sua perfecta: cuiusmodi Poenalia & cætera Conditionalia non sunt; cum ex natura sua non continent affectum & consensus perfectum in rem promissam; quia minus in hanc feruntur, quam in illam; cum rem promissam non velint, nisi cum & post eventum futurum; ac proinde iste sit radix & causa assumendi obligationem rei promissæ exequenda. Confirmatur; quia, an Poenalia & cætera Conditionalia vota, tam post, quam ante impletam conditionem, reservata sint, dubium est: in dubio autem, an votum reservatum sit, pro non reservato est habendum; cum in dubio in benigniorem partem sit inclinandum, *c. Estote 2. § 1. Semper 36. ff. de Re. J.*

Neque obstat; quòd promissio Conditionalia, impletà conditione, transeat in absolutam, *l. Potior 11. §. 1. ff. Qui potior. in pign.* ac proinde votum editum sub conditione eosdem effectus fortiat, & perinde habeatur, ac si ab initio absolute editum fuisset, *arg. c. Unici, §. Illi, de Respons. impub. in 6. ex cuius dispositione sponsalia conditionata publicæ Honestatis pariunt impedimentum: sicut ea, quæ absolute edita fuerunt. Non, inquam, hoc obstat; quia, licet impletio conditionis obligationem perficiat, non tamen mutat modum promittendi: neque tollit affectus & in materiam promissam initio positi consensus imperfe-*

ctionem, quæ verè solà votum à reservatione eximi est dictum.

Dixi, *De futuro*, subaudi *Contingente*; quia, si vota *vg. Religionis vel Continentiæ* sub conditione de futuro necessario, vel de præsentis aut præterito emissa essent, ea Reservatis ascensenda, rectè docent, *citt. Sanchez cap. 40. n. 87. & Palao p. 12. n. 17.* Ratio est; quòd, licet cum quadam rei promissæ displicitia edita sint, in ea tamen præstitus, consensus integer sit & perfectus.

In votis etiam Reservatis absolute editis dispensare Prælati inferiores aliquando possunt. Et imprimis quidem, cum eorum aliquod emittens ad culpam solum venialem se obligavit; quia reservatio exigere videtur obligationem materiæ proportionatam, *citt. Sanchez n. 47. & Palao n. 3.* Deinde in casu extraordinario, quò dispensatio necessaria est ad evitandum grave scandalum, infamiam &c. & ad Papam in tempore nequit recurri; quia credibile non est, tali etiam casu dispensationem ab eo sibi reservari; cum, eam Prælati inferioribus permitti, exigat bonum & recta gubernatio fidelium subditorum, *citt. Sanchez n. 44. Suarez cap. 26. n. 9. & Palao n. 4.* Et demum etiam, cum ea relaxandi potestas delegatione, privilegio vel legitime præscripta consuetudine est obtenta: vi cuius Episcopi & alii in votis dispensandi generalem facultatem habentes ad executionem debiti conjugalis cum conjugibus Castitatis votò obstrictis solent dispensare, *citt. Lessius n. 125. Pontius Lib. 8. cap. 9. à n. 2. & Palao n. 9.*

